

## Incipit herbarium Apulei Platonici ad Marcum Agrippam

### Exordium in herbarium

[A]puleius platonicus ex pluribus paucas vires herbarum et curationes corporum ad fidem veritatis monumentis publicis tradidit. Odit stupiditatem verbosam. Cupiditatem. Quid dicimus esse medicorum vendicatio potius quam cura etiam homines merita plerumque et imperitia mixtos celeri comperias viros nuncupari : qui etiam a mortuis mercedem expetunt: quid agant? Nihil. expetunt enim occasionem et faucium redditus: dum tempus curationis extrahant: puto quia seviores ipsis morbis sint exitum proponamus igitur remediorum titulos: quos vel nunc vel maxime tempus conductit ut civibus meis sociis quidem et peregrinis: quibus vexatio acciderit aliqua corporalis nostra litterata scientia invitis etiam medicis profuisse videatur. Hunc commentarium artis meae pervenire ad te volo munusculum Marce Agrippa: habebisque opus ex hoc cure meae: ex omnibus medicorum summorum disciplinis ordinatum. Cum autem proposuerim mihi medicamina dicere piaculi genus existimavi transire effectus herbae Vettonicae.

### Herba prima Vettonica

**Nomen herbae** Vettonicae dicitur a grecis Prionites

Alii	Cesaros
Alii	Cerone
Alii	Indicem
Alii	Cosmicen
Alii	Spicotrosas
Alii	Tbisarisza
Alii	Peropanion
Alii	Theriophenon
Alii	Pandonia
Alii	Sideritis
Alii	Adanan on
Alii	Diprymon
Prophete	Hierocarine
Galli & Itali	Vettonicam
Alii	Serratulam

**Herba Vettonica** nascitur in pratis et in montibus locis humidis et opacis circa frutices: animas hominum et corpora custodit: nocturnas ambulationes et loca sancta. Lege eam mense augusto sine ferro: eamque tibi excute ne terra inhereat et in umbra arefacies: atque ita teres cum radicibus suis cribro aromatico mollissime in pulverem redactam cum volueris uti: sic uterus

### Ad capitum fracturam

Herba Vettonica contusa et super capitem imposta: vulnus celeriter glutinatum sanabit. eo quidem efficacius si tertio die refacta recentiore frequentius imposueris donec sanus fiat. Eius potestas tantam fertur habere utilitatem: ut ossa fracta vi sua extrahat.